

The Electronic Manipulus florum www.manipulusflorum.com

Relinquere ae & af in editionibus 1493/5 & 1550 cum fonte primo

Nonnullos huius mundi maximas facultates et non solum multa auri et argenti talenta, uerum etiam prediorum magnificentiam contemnentes: post haec uidimus pro capello pro graphio pro acu pro calamo commoueri: qui si utique contemplationem mundi cordis fixam tenerent: nunquam utique pro paruis rebus amitterent. quod ne pro magnis ac preciosis incurrerent opibus eadem poenitus abiicere maluerunt.

Idem (Cassianus) in collatione abbatis Moysi.

Plerumque tanto zelo codicem seruant: ut eum ne leuiter quidem legi uel contingi ab aliquo sinant. et inde occasiones impatientiae ac mortis

acquirere. Cumque omnes diuicias suas pro Christi amore disperserint. pristinum tamen cordis affectum in rebus minimis retinentes et pro ipsis nonnunquam uolubiliter irascentes: ueluti qui non habent apostolicam caritatem ex omnibus infructuosi sterilesque redduntur.

Iohannes in collatione abbatis Moysi.

Manipulus florum, Relinquere ae & af (Venetiis, 1493/5), sig.F1r.

Hinc namque est quod nonnullos mundi huius maximas facultates et non solum multa auri atque argenti talenta, uerum etiam praediorum magnificentiam contemnentes post haec uidimus pro scalpello, pro graphio, pro acu, pro calamo commoueri. qui si contemplationem cordis mundi fixam tenerent, numquam utique pro paruis rebus amitterent, quod ne pro magnis ac pretiosis incurrerent opibus, easdem penitus abiicere maluerunt.

nam et plerumque nonnulli tanto zelo codicem seruant, ut eum ne leuiter quidem legi uel contingi ab aliquo sinant, et inde occasiones impatientiae ac mortis incurrunt, unde monentur stipendia patientiae et caritatis acquirere, cumque omnes diuitias suas pro Christi amore disperserint, pristinum tamen cordis affectum in rebus minimis retinentes et pro ipsis nonnunquam mobiliter irascentes, ueluti qui non habeant apostolicam caritatem, ex omnibus infructuosi sterilesque redduntur.

Iohannes Cassianus, *Conlationes XXIII.*, 1, 6, 1-2 (CSEL 13, M. Petschenig ed., p.12, ll.7-22).

Nonnullos huius mundi maximas facultates, et non solum multa auri et argenti talenta, uerum etiam et prediorum magnificentiam contemnentes: post haec uidimus pro scalpello, pro graphio, pro acu, pro calamo commoueri: qui si utique contemplationem cordis mundi fixam tenerent: nunquam utique pro paruis rebus amitterent, quod ne pro magnis ac preciosis incurrerent opibus eadem penitus abiicere maluerunt.

nam plerumque tanto zelo codicem seruant: ut eum ne leuiter quidem legi. uel contingi ab aliquo patiantur. et inde furoris occasiones et impatientie ac mortis incurrant, inde monentur stipendia patientie et caritatis acquirere. Cumque omnes diuitias suas pro Christi amore disperserint, pristinum tamen cordis affectum in rebus paruis et minimis retinentes, et pro ipsis nonnunquam mobilitate irascentes: ueluti qui non habeant apostolicam caritatem ex omnibus infructuosi sterilesque redduntur.

Iohannes prima collatione abbatis Moysi capitulo 6.

Flores omnium fere doctorum, Relinquere ae (Venetiis, 1550), fol.445r-v.